

223

221

227

217

232

212

272

172

322

122

Ende

Anfang

212

ab eis extorquere pecunias conabantur, sed talis erat conditio illorum peregrinorum, quod nullam secum habebant pecuniam. Isti ergo duo rogabant nos pro nostra salute, ne evagaremur longius a littore portus nostri, ne deterius nobis continget. Stetimus ergo in littore adhuc per horam cum hominibus, et illi duo percussi in suam galeam navigaverunt, stantibus autem sic nobis, vidimus tumultum magnum inter portas civitatis et furiosum hominum concursum; nam Sarraceni, qui nobiscum in littore stabant, ad portam sursum concurrerunt, et alii extra saltaverunt, et custodes exemptis gladiis stabant observantes, ne quis intraret vel exiret. Duo enim zentilomi, patroni duarum galearum, contentione habuerunt cum quibusdam Sarracenis propter negotiantium vertigines, et in contentione unus Sarracenum percussit et facta percussione de fontico per civitatem cucurrit volens transfugere in classem, sed alii Sarraceni insequebantur eum et sub portis comprehenderunt et graviter vulneraverunt eum. Comprehensum autem eum cum socio alio patrono ambos in vincula conicerunt et caeteros Christianos latinos repertos in civitate cum percussionibus et contumeliis ejecerunt de civitate et multi galeotae cum planetu et ululatu bene castigati ad nos super littus venerunt referentes, multam turbationem esse in civitate et indignationem magnam contra Christianos. Fuimus autem laeti ego et socius meus, quod ante exortam tribulationem evasimus de civitate. Pejus enim stetissent peregrini reperti, quam quicumque alii, quia salvus conductus noster exspiraverat, non autem illorum, qui erant de classe; semper enim instantे recessu Christianorum a Sarracenis incipiunt saevire in eos, et furorem ac inimicitiam, quam animo occulte gerunt, et amaritudinem, quam celant, in fine ostendunt et effundunt. Interim enim quod sperant, se aliquam utilitatem ab eis habere, serviunt et obsequuntur, sed hac spe finem habente saeviunt, vexant, rapiunt, furantur, et ubicumque eis nocere possunt, festinant, ut fiat, et raro efficiuntur Christiani tam boni socii et Sarraceni, quod ab invicem recedant cum pace, praecipue quando sunt multi, ut est, quando peregrini vel classis mercatorum ab eis recedere debet, quando enim hominem christianum non amplius ad se reversum putant, malum Vale sibi praestant, de quo saepe experientias habui (¶). Advesperascente die socius meus et ego in classem reversi sumus ad coenam nostram, amplius ad littus

